



1.

1.

2.

3.

4.

5.

17

1.

2.



297
De 50. 20. 4
OFFICIO ET JURE
SUMMORUM IMPERANTIUM
CIRCA SACRA
SECUNDUM LEGEM NATURÆ, 1707 5.

Auspice DEO, 10

PRÆSIDE

JOHANNE EBERHARDO
RÖSLERO, 2

Philos. Pract. Prof. Publ. Ord. & Contubernii
Rectore, Fac. Philos. h. t. Decano.

Pro ritè obtinenda Laurea Philosophica Secunda

Disputabit

JOH. MELCHIOR MÜLLER, Bernhusanus,
Philosophiæ Candidatus.

Ad diem XXVIII. Septembr.

H. Lq; consuet.

TUBINGÆ,

Typis JOHANNIS GRÆZII
Anno MDCCVII.

VIRIS

MUNERUM, MERITORUMQUE GLORIA,
PRÆFULGENTISSIMIS,

Perillustri & Generosissimo,

DOMINO

DN. JACOBO FRIDERICO à RÜHLE,

Serenissimi Würtemb. Ducis à Secretioribus Status Consiliis, at-
que Consistorii Directori Per-Incluro.

Ut Et

DN. JOH. FRIDERICO HOCHSTETTERO,

S.S. Theologiæ Doctori, Ducalis Consistorii Assessori, Superin-
tendenti Generali, ac Cœnobii Denckendorffensis Præposito
Gravissimo.

DN. JOHANNI PHILIPPO DATT,

Jurisconsulto Celeberrimo, Serenissimi Würtembergiæ Ducis à
Consiliis Justitiæ, Senatus, Fiscique Ecclesiastici Advocato Nobi-
lissimo.

DN. ERYCO WEISMANNO, Ecclesiæ Ca-
thedralis Stuttgard. Antistiti, Consistorii Ducalis Assessori Gra-
vissimo, Cœnobii Albæ Dominorum Abbati Dignissimo.

DN. CHRISTOPHORO ZELLERO,

Serenissimi Würtembergiæ Ducis Concionatori Aulico, & Ducem-
lis Consistorii Assessori Dignissimo.

DOMINO SUO GRATIOSO,

Promotoribus ac Patronis,

Subjctissimo Honore & Amore colendis,

Præsentem Disputationem

Subjctissimâ manu offerre debuit, voluit

Subjctissimus

RESPONDENS:



I.

E Nobili, eoque vexatissimo, sed & utilissimo
 argumento De Officio & Jure Imperantium circa Sacra
 pro temporis, quod nobis superest, spatio admodum
 exiguo, ad materiam edendi Speciminis publici sup-
 editandam, pauca quaedam delibaturi pramonemus,
 Officium hic denotare. *Actionem hominis pro ratione obli-*
gationis ad prescriptum legum recte attemperatam, sui vero Faculta-
tem moralem faciendi id quod lege non est prohibita. Per sumos Imperantes
intelligimus omnes eos, qui summam in Republ. potestatem habent, cu-
juscunque formæ hac sit, sive ad unum, sive ad paucos, sive ad omnes illa
potestas pertineat. Per Sacra verò religionem, & qua ad eandem refe-
runtur. Intra terminos autem legis naturæ nos continebimus, nec, si
qua illi superaddit lex divina positiva in Sacris oraculis revelata,
nostræ considerationis faciemus.

II.

Quamquam Religionis primarius finis merito constituitur in-
 terna hominis & summa felicitas in Summi Boni fruitione consistens:
 non tamen irreverenter eam habent, qui alium ei ac secundarium
 finem adscribunt, in doctrina civili attendendum, conservationem
 vimirum societatis, in quantum ea fons, scaturigo & stabilimentum
 est omnium officiorum, quæ homini tum erga se, tum erga alios sunt
 præstanda, quo intuitu Pufendorfius de Offic. L. 1. c. 4. §. 9. eam re-
 verà esse ultimum & firmissimum humanæ societatis vinculum osten-
 dit: idque sive ipsam societatem humani generis universalem, sive
 societates civiles officiaque in iis cum Imperantium tum subditorum,
 sive minores societates, illarum seminaria, respiciamus, Pulchrè Lip-
 sius

mus Exempl. & Monit. Polit. Lib. I. c. 2. Ut qui domum moliantur à fundamentis, sic nos, qui Republ. à fulcro & vultu basi ejus Religione ordini debemus. Sine ea non Princeps officium suum, non subditi facient, sine ea societas non erit, quia non fides, non justitia, non virtus, sed fraud, licentia protervitas, & uno verbo, confusio hominum ac rerum. *Quod frenum erit peccatoris? quis metus satis validus? nam externum illum, qui à panis aut morte est, multi contemnunt, & desperatio, impetus, aut iracundia eo ducunt. Esto igitur vinculum & firmamentum Reipublicae Religio. Idem jam olim Lactant. Lib. de Ira Dei. c. 12. Religio & timor DEI solus est, qui custodit hominum inter se societatem, per quem vita ipsa susinetur ac gubernatur.*

III.

Idque adeo verum est, ut falsas quoque religiones, in quantum veritatis quid admixtum habuere, & divinitatem quandam adstruere, rebus humanis providentem, virtuti praemia, vitiiis poenas discernentem, plurimum effecisse ad coercendos intra officii limites hominum animos deprehendamus. Agnita igitur necessitas haec communi plerorumque etiam paganorum hominum consensu fuit. Aristoteles Lib. VII. Polit. c. 8. in constituenda Republica *πρώτος, ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἀμύχρατος* esse affirmat. Cicero Lib. II. de Legibus, hoc praemittit primae legi, quae est de cultu divino rite administrando, prooemium: *Sit igitur hoc jam à principio persuasum civibus: Dominos esse omnium rerum ac moderatores Deos, eaque, quae gerantur, eorum geri judicio ac numine, eosdemque optime de genere hominum mereri, & qualis quisque sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate religiones colat, intueri, piorumque & impiorum habere rationem. Rationem instituti hujus ipse explicat Lib. I. de Nat. Deorum: ubi, Cum pietate, inquit, & sanctitatem & religionem tolli necesse est, quibus sublatis, perturbatio vita sequitur, & magna confusio. Atque haud scio, an pietate adversus Deos sublata, fides etiam, & societas humani generis, & una excellentissima virtus justitia tollatur. Plutarchus contra Coelot. Mihi, inquit, urbs videtur, citius sine solo, quam Republica sine opinione de Diis aut constitui, aut constituta servari. Et religionem ibidem appellat vinculum omnis societatis, & justitia fundamentum.*

IV. Ue

IV.

Ut autem qualiscunque religio magnam in societate vim habet; ita quin vera longè felicius & facilius id efficiat, tanto minus dubitandum est, quanto magis inter se cohæret veritas, quam error, & quanto æquior est cæterorum officiorum cum vera Religione nexus. Dissiteri enim non possumus fabulas Poëtarum, quibus religionem contaminarunt, corruptioni morum ansam dare potuisse, quod Terentius videtur innuere velle Eyn. Act. III. Scen. V. dum Chæream inducit impuram libidinem exemplo Jovis excusantem. Unde & has fabulas vulgò pro fabulis habitas, & in theatris exagitationes fuisse legimus. Ita enim Hercules apud Euripidem in Herc. furente:

Εγὼ δὲ τῆς Θεῆς ἔτε λεπτῆ ἀ μὴ θέμις
 Στέργειν νομίζω, δεσμάτ' ἀξάπτειν χερσῶν
 Οὐτ' ἠξίωσα πόπορ, ἔτε πέσομαι.
 Οὐδ' αἰδῶν ἀλλε δεσπότην πεφυκέναί.
 Δείτω γὰρ ὁ Θεὸς, εἴπερ ἐς ὄντως Θεὸς.
 Οὐδένα. Αἰδῶν ὀδὲ δόξῃνοι λόγοι.

Quæ sic Latine vertit Gaspar Stiblinus: Ego Deos neque vetitos concubitus affectare puio, nec manibus innectere vincula: Nunquam hoc dignum censui, nec quisquam me persuaserit, alterum in alterum habere imperium. Indiget enim Deus nullâ re, si modo verè est Deus. Sunt hæc maleferiata Poëtarum fabule. Idem Auctor in Iphigenia in Tauris sic loquentem inducit Iphigeniam:

Εγὼ μὲν εἶν
 τὰ παντὸς θεοῖσιν ἐξιάμωτα
 Ἄπαι κρῖνα, παιδὲς ἠθῆναι βορᾶ
 Τῆς δ' ἐνθεῶν ἀλλε ὄντας ἀνθρώπο κτόνας
 Εἰς τὸν Θεὸν τὸ φᾶλλον ἀναφέρειν δοκῶ.
 Οὐδένα γὰρ οἶμαι δαυμόναν εἶναι κακῶν.

i. e. Quin & Tanrali fide carere Diis exhibita epulatio videtur, in qua sic delectatus est filii. Unde & ipsos hujus terre incolas existimo caudere cede, & ipsum probrum transferre ad DEUM. Nullum enim Deum arbitror esse malam.

V.

Vera Religio duabus absolvitur partibus, recto de DEO sensu & vero ejus cultu. Utriusque partis capita vel ex recta rationis dictamine, vel ex peculiari revelatione patescunt. Illa Pufendorfius de Offic. Lib. I. cap. 4. D. Baddeus in Dissertatione de Pietate Philosophica aliaque recensent; Hæc è Sacris Literis petenda extra eas rationi ignota sunt. Sine Religione, saltem Naturali, Societas, uti supra dictum, ne subsistere quidem potest. Revelata uti ad finem primarium summam felicitatem obtinendam absolute, ita tam simpliciter ad alterum finem necessaria non est, neque directò & per se huc ordinata, plurimum tamen etiam ad assequendum vitæ civilis scopum confert, ejusque felicitatem insigniter promovet. vid. Pufendorf. Introduct. ad Hist. c. XII. §. 4.

VI.

His præmissis asserimus ad Imperantes qua tales omnimò pertinere religionis curam. Supra enim ostensum est, hoc firmissimum esse civilis etiam societatis vinculum, quòd ne laxetur, providere summæ potestatis est ad hoc ipsum constituta; ut tranquillitatem & felicitatem vitæ civilis conserver ac promoveat. Præsertim cum cura illa sæpè imperium & vim coactivam deposcat, nemini sanè, nisi Summis Imperantibus, eam transcribi posse, ex ipsis terminis manifestum sit. Neque tamen tam plenam & absolutam circa Sacra potestatem Rectoribus Civitatum tribuimus, ut pro lubitu quidvis credendum imponere posse arbitremur, quam sententiam in Hobbesio, & huic succinente Houtuyno post alios confutavit Dr. Rechenb. in Diss. qua excuritur quæstio: An cujus Regio, ejus sit Religio. Neque non vehementer detestamur illorù impietatem, qui religione non nisi pro imperandi instrumento utuntur, cujus Romanos veteres reos facere conatus est Machiavellus Disc. ad Hist. Livii Lib. I. c. 13. & 14. jure an injuria non disputo. Non tamen omninò absque esse, quæ disseruit, illud Catonis indicare videtur, qui mirari se agebat, quòd non rideret harrusex, harruspicem cum vidisset.

VII.

Prima autem cura Imperantis hæc meritò censi debet, ne Religionis prorsus vel ipse, vel civium quisquam expers sit. Vana enim sunt fidei, juris, obligationis vocabula, nisi superior aliquis agnoscat, & colatur, cujus sensu meruque imbuti homines abstercantur, quo

quo minus spe impunitatis in foro humano propofita occafionibus turbandi res oblati abutantur, vel contempta pœna humana in omne scelus ruant. Nihil vinculo focietatis inefteftius, quàm Atheifmus, quem proinde pœnis civilibus coërceri non juftū modo, fed & neceffarium putamus. Integras Atheorum focietates ex variâ fortis, conditionis, indolis, fortunâ hominibus compofitas ufquam inveniri etfi non credimus, fi tamen invenirentur, eas civitatibus religione falſa & ſuperſtitioſa, modo providentiam Numinis, & præmia pœnasque divinas ne inficietur, imbutis præferendas Bælio non poſſumus concedere, de cujus ſententia vid. Seckendorff. de Statu Chriſtianifmi Addit. ad Lib. I. c. 1. §. 16.

IIX.

Vera quoque ut floreat Religio, curandum Imperanti, non modo quatenus ut homo divini honoris promovendi, ſuæ aliorumque ſummæ felicitatis ſtudioſus eſſe debet, fed etiam quatenus ut Princeps obligatus eſt, ad Statum Reipublicæ optimum procurandum, qualis demum ſperari poteſt, cum DEUS ritè colitur, & Sacra legitime adminiſtrantur. Commodè autem hoc efficiet, ſi juventus à teneris annis in vera Religione inſtituatur, ſi plebs de DEO ejusque cultu dextrè informetur, ſi de iis, quæ vim legum civilium accipere poſſunt, leges ſauciantur, ſi denique & ipſe Princeps exemplo præear, & eos docendi muneri præficiat, quorum vita à doctrina non diſſentiat.

IX.

Porro cütare debet Imperans, ut Religio ſit publica. Cultum enim aliquem externum non modò ipſa reverentia Numini debita exigit, non noſtrum modò commodum ſuadet, ut cultus internus per hunc nutriatur & fulciatur, fed & ſocialitas requirit. Inter eſt enim aliorum, ut reſciant, an & quid de DEO rebusque divinis ſentias. Benè B. Hedingerus in Conſp. Nat. Jurispr. P. II. Sect. 1. Tit. 4. *Annua fides inter eos, de quibus incertum, an DEUM colant, vel ſecus. Ratio, quoniam ſi alius inter homines juſtè exercendi Numinis cujuſdam reverentia nitatur, ſublato ejus metu ad arbitriam honeſtatem mutum inter homines commercium delabitur, quam, ſi metus periculi abſit, mera*

mera libido infringit. Quo casu dissidentiam inter mortales viri sum-
nam atque hostilem necesse est: quod sublata Numinis professione vincu-
lum humane vite palmarium reverentia Legis N. in ambiguo versetur.
 Debet autem maximè Imperanti constare, religionem reverà exerceri,
 & illis quidem modis, quos Reipublicæ non nocituros existimat,
 cum hujus sit providere, ne quid Respubl. detrimenti capiat.

X.

Etsi autem Majestas directò nihil juris habet in actus religionis in-
 ternos & imanes, quamdiu tales sunt; cum in ejusm. actibus con-
 scientiam Imperanti non subjecerint subditi, neque hi Rempubl.
 turbent; attamen perversa dogmata, perversaque Numinis colen-
 di ratio, ubi religioni naturali adversa in perniciem societatis, & cor-
 ruptionem honestatis morum tendunt, quin vi coactivà obfistere
 possit ac debeat Imperans, non dubito; ut si victimis humanis, aut
 incestis & adulteriis placare DEUM instituat execranda pietas. Tum
 verò & legibus & pœnis rectè adversus eam pugnat justitia. Exemplū
 Romanorum nefanda Bacchanalia disturbantium, ap. Liv. L. XXXIX.
 legi potest. Quod si verò falsitas dogmatum atque cultus cum
 revelatione pugnans, finem quidem primarium summam hominis
 atque æternam felicitatem impediatur, Reipublicæ autem per se no-
 xia non sit, nulla vis externa, nullave coactio locum habet. Neque
 enim natura mentis humanæ ea est, ut externâ vi adhibita ad verita-
 tem agnoscendam adigi possit; Argumentis illa non armamentis
 vult persuaderi de veritate. Et si vel maximè professionem exter-
 nam extorqueas, repugnat tamen interius conscientia qualiscunque
 dictamen. Neque in illis, quæ ad finem civitatis nihil faciunt liber-
 tate sua se abdicasse censentur in civitatem coeuntes, neque se ob-
 stringere potuerunt, ut contra conscientia persuasionem aliquid
 agerent. Nec denique Religionis Christianæ, quæ sola veræ & à
 DEO revelatæ religionis criteriis à recta ratione suppeditatis gau-
 det, indoles aut præcepta violentum illius propagandæ modum re-
 quirunt vel admittunt.

XI.

Multò minus Imperanti licitum est ad quamcunque ne ad ve-
 ram quidem religionem suscipiendam armis adigere gentes suæ po-
 testati non subjectas, Non enim ritè geritur bellum, nisi ad repe-
llendam

lendam aut vindicandam injuriam ab alia gente illatam aut inferendam, h. e. ut nos nostraq; servemus actueamur contra injusta aliorum invasionem, aut ut, quæ nobis debita ab aliis exhiberi renuuntur, asseramus, aut injuriæ jam illatæ reparationem & cautionem in posterum obineamus. Bellum pœnale à Grotio assertum dudum à Commentatoribus est profigatum. Neque charitas aut zelus pro æterna aliarum gentium salute hic excusat; potiores enim sunt justitiæ leges, quas violare nunquam licet. DEO factæ injuriæ DEO curæ sunt, nec à pari in parem vindicari possunt. Vanus ergò Hispanorum color, quo iniquitatem adversus Americanos exercitam incrustare conatur. vid. Dign. Dn. Hochstetter Dissert. II. de Jure Pœnarum §. 4. Pufend. de Habitu Religionis, D. Buddeus Dissert. de Expeditionibus Cruciatæ.

XII.

Aliud verò dicendum, si queratur: An Imperans religionem ab aliis hostiliter impetitam armatâ manu possit defendere. Et posse non modò, verum etiam debere, re&è assertitur. Vitæ enim rerumque nostrarum defensionem cum lex naturæ permittat, quidni etiam permitteret religionis, quæ ab omnibus bonis & cordatis utiq; pluris quam fortunæ omnes, ipsaque vita meritò æstimatur, cum illa ad libertatem pertineat, ac sine tranquillitatis aut salutis animæ jactura amitti nequeat. Et in statu naturali sicuti vitam resque suas etiam violenter & cum cæde in vasoris defendere unicuique licet: ita non minus omnibus erga illos, qui religionis opprimendæ causa iniri infert, idem concessum esse arbitramur. Equè enim injuriam alteri abhorret, vel quam à veritate alienam esse putat, aut per quam se ab interiori sua & summa felicitate abduci credit, vult cogere; sac qui vel vitam, vel bona, aut libertatem illi vult eripere. Nullus enim ut hoc facere possit, quemadmodum superiori §. demonstravimus, adest Juris titulus. Quod verò in statu naturali uni homini erga alium licet, id uni genti non dependenti erga aliam, uni Principi summo erga alium pariter licere intelligitur. Imò cum hoc sine in civitates coiverint homines, suasque voluntates unius voluntati subjecerint, ut viribus totius cœtus imperans uteretur ad defensionem

B

nem

nem vitæ, re. um, juriumque hujus, officio suo non videtur satisfecisse Princeps, qui defensionem tali in casu omittit.

XIII.

Ex quo etiam consequitur, licere imperanti & aliis religionis suæ fociis extra suum territorium degentibus, siquidem hi armis defendere sacra sua justo bello possint, succurrere, & vim injustam religionis causâ intentatam ab iis arcere. Nam ut pro alio bellum rectè suscipiatur, duo hæc requirunt, justam bellandi causam in eo, cui succurritur, & peculiare aliquod vinculum, quo principali belligeranti nectatur, quod idoneum sit, ut in gratiam unius hominis alterum æquè hominem hostiliter tractare queat. Talia vincula sunt, præter id, quod est inter imperantes & subditos, ea, quæ inter federatos & amicos intercedunt. Major autem, aut certè æquè arctus quam amicitia, est ejusdem religionis nexus. Quid quod omnes homines ob communem, quæ inter eos intercedit cognationem defendere non modò possumus, sed & si sine nostro periculo fieri queat, debeamus. Eadem enim lex naturæ, quæ aliorum commoda promoveri jubet, multò magis aliorum defensionem injungit: ita quidem, si necessitas accedat, obligatio perfecta incumbat.

XIV.

Sed illud quidem facilè evictum erit, licere Imperanti alium populum contra hostem extraneum religionis causâ defendere: difficilior quæstio est: an liceat subditis alterius contra Principem suam armatâ manu religionem defendentibus suppetias ferre? Hic in memoriam revocandum, quod supra monitum est. Ad bellum pro aliis gerendum requiri justam bellandi causam in eo, cui succurritur. At subditis nulla est justa adversus Imperantes bellandi causa. Sola illis patientiæ gloria relicta est, ubi hi injustâ vi grassantur. Argumenta eorum, qui Magistratus hinc eximere volunt, diluit Grocius Lib. I. c. IV. §. 6. de J. B. & P. Unde quid ad quæstionem respondendum sit, facilè patet. Falluntur verò, qui Principes & Statutus Imperii Magistratum numero censent. vid. Kulpis ad Monzamb. Part. II. cap. II. §. 7. Quibus quo jure licuerit Cæsari Religionem Evangelicam oppressuro se opponere ostendit Dn. Rechenb. in *Dissert. de Religione Armis defensa*.

XV.

Sed & iusta bellandi causa Imperanti adversus alterum Principem pro defendendis hujus subditis, quorum religioni vis infertur, ex alio capite nasci potest: ita, ut, licet ipsi subditi arma capere non possint, alius tamen bello adigere queat Principem, ut religionem subditis inconcussam relinquat, & laesos eo nomine in integrum restituat. Si nimirum diversae Religionis Principes pacto inter se convenerint, ut alter alterius religioni addictos in sua regione ferat, libertatemque exercendi cultus divini concedat ac relinquat: tum ubi conditio haec in pactis conventis expressa non fuerit expleta, ob violatum foedus iusta oritur alteri parti satisfactionis aut vindictae violatae causa, quae tamen ipsis subditis licentiam violentae defensionis non tribuit, Exemplum recentissima suppeditat historia.

XVI.

Videamus nunc, quodnam sit Jus Imperantis in recipiendis in civitatem, aut tolerandis in ea diversae religionis hominibus. Et ad receptionem quidem quod attinet, nullam ego legem naturae video, quae eam absolute prohibeat, modò ne religio ista Statui civitatis sit adversa. *Ad tranquillitatem enim civitatis non absolute necessarium est, ut omnes cives circa singula religionis capita consentiant; seu, quod eodem recidit, dissensus circa capita religionis per se non turbat quietem civitatis; sed intemperies ingeniorum, ambitio, gloria & potentia cupulenta, velut prave temperatus, quae ab isto dissensu ansam sumunt turbulentiam suam expromendi, verba sunt Pufendorffii de Hab. Rel. §. 49.* At enim verò cum majorem sperare fas sit concordiam inter ejusdem religionis socios, nisi gravissima causa recipere cogat diversae religionis imbutos, consultius omninò videtur abstinere, quam id committere, cujus forsitan sera subire queat poenitentia. Corruptionis periculum hic non esse contemnendum ipsius Numinis cura admonet Deut. XX. 18.

XVII.

Ceterum, si nulla naturae lex reperitur, quae prohibeat omnino recipere diversae religioni addictos, nulla quoque erit, quae tolerare veter receptos. Interdum etiam pacta tolerandi obligationem imponunt. Aliquando tanta est dissidentium multitudo, ut sine insigni diminutione nostrae civitatis expelli nequeant, aut huic gra-

ve detrimentum conciliaturi sint, si in aliam se civitatem contulerint. Tum verò cavendum Principi, ne ulla inter cives discordia aut alia mala oriantur: Hinc legibus & pœnis coërcenda verba & scripta contumeliosa, quæ ad exacerbandos animos plurimum, ad elucidandam veritatem nihil faciunt. Conventibus etiam diversam religionem profitentium Sacrorum causa institutis interesse per delegatos suo jure potest Imperans, ut certior fiat, nihil ibi agi, quod ad Reip. detrimentum pertineat. Nam ab istis, qui tolerari in civitate volunt, utiq; requiritur, ut bonos se & quietis virtutisq; amantes exhibeant cives, nec suæ religioni admixta habeant dogmata, quibus aliquid detrahatur Juribus summorum Imperantium aut obsequio iisdem debito, & per quæ cives ad seditiones turbasve movendas disponantur. De quo Imperanti, ut certò constet, salus Reip. requirit.

XIX.

At si ex dogmatum diversitate periculum suæ Reipublicæ oriri posse judicet Princeps, potest utique, nisi impedimenta superiori g. recensita obstant, jubere secus sentientes emigrare, non autem ob solam diversæ, & Statui Reipublicæ per se alioquin non adversæ religionis causam per modum pœnæ cum contumelia vel facultatum jactura expellere. Nam veluti civi liberum est, si rebus suis conducere videatur alio migrare, ita quin Principi liceat honestè dimittere eum, à quo sibi suæque Reipubl. metuit, causam nullam video. At cum religio q. hæc ad animarum salutem spectat, vi coactivæ non subiaceat, non liquet, quò jure illa exilio, aut bonorum publicatione, aut aliâ pœnâ, multari possit.

XXI.

Ad particularia Imperantium, quatenus hi Christiani, sunt, officia & jura descendere nostri in præsens instituti non est. Faciunt id Theologi, Juri, & Politici passim. Nos hîc subsistimus, DEUM que rogamus, ut omnium Imperantium corda regat, uti Officio circa Sacra rectè fungantur, & Juribus legitimè utantur.



Tübingen, Diss., 1706-09

X 241 8747





De 50. 20. 4
1707.5.
10
2

OFFICIO ET JURE
SUMMORUM IMPERANTIUM
CIRCA SACRA
SECUNDUM LEGEM NATURÆ,

Auspice DEO,

PRÆSIDE

JOHANN EBERHARDO
RÖSLERO,

Philos. Pract. Prof. Publ. Ord. & Contubernii
Rectore, Fac. Philos. h. t. Decano.

Pro ritè obtinenda Laurea Philosophica Secunda

Disputabit

JOH. MELCHIOR MÜLLER, Bernhusanus,
Philosophiæ Candidatus.

Ad diem XXVIII. Septembr.

H. Lq; consuet.

TUBINGÆ,

Typis JOHANNIS GRÆZII,

Anno MDCCVII,